

12, & 2) 12 (6. Septimo igitur die, (sive post primum sex-
to,) ambulantur milliaria 15.

4 Si ambulaverit primo die 3 milliaria, decimo 21; &
queratur communis excessus.

Dematur ex termino maximo minimus: quod restat divida-
tur per numerum terminorum post primum; Quod prodit est
communis excessus. Nempe $21 - 3 = 18$. & 9) 18 (2. ergo
communis excessus est, duorum milliarium.

5 Si totum iter milliarium 120, diebus 10 confectum, quo-
tidiano incremento duorum milliarium; & queratur primi di-
ei iter.

Dividantur 240, duplum numeri milliarium toto itinere
confectorum, per numerum dierum 10; prodeunt 24, summa
milliarium dierum primi & ultimi conjunctim. Ducantur in-
super 9, numerus dierum post primum, in communem exces-
sum 2, & prodeunt 18, excessus totus termini ultimi supra
primum. Quibus demptis ex primi & ultimi aggregato 24, re-
stant $24 - 18 = 6$. Horum semissis, 3, est iter primi diei.

Porro; Ponamus alium exire die quinto, & æquabili itinere
progredi. Queritur, quot illum oporteat milliaria quotidie
conficere, ut eodem tempore cum præcedente idem iter con-
fecerit.

Cum ex 10 diebus, ponantur elapsi 4, restant 6. Cum igitur
diebus 6 confecturus sit iter milliarium 120; facta divisione
6) 120 (20, prodit numerus milliarium quolibet die confici-
endorum, nempe 20, ut eodem die cum præcedente idem con-
fecerit iter.

Exemplum aliud esto hujusmodi; cum notum sit horologi-
um hora post meridiem prima sonitum 1 edere, secunda 2, tertia
3, & sic deinceps: Queratur, quot edat sonitus, duodecim
succedentium horarum spacio. Vel etiam, quot ab hora tertia,
ad horam nonam. Aliaq; similia. Quibus quaeritis, eodem quo
supra modo satisfaciendum erit.

Item, Si ponamus 20 lapides ita collocatos, ut primus absit
uno milliari, secundus duobus, tertius tribus, & sic deinceps;
oporteat autem aliquem hos omnes lapides sigillatim afferre:
Queritur, quot ille milliaria confecturus sit priusquam omnes
attulerit.

Cum ad primum lapidem eundo & redeundo, duo milliaria
eundum